

**Specimen medico-chirurgicum de suppuratione in partibus mollibus. :  
Cujus propositionum veritatem, in Augustissimo Monspeliensis Appollinis  
Fano, propugnabit Petrus Rocques, Montalbenesis, Artium Liberalium  
Magister, ac Medicinae studiosus, die mensis Novembris anni 1721. ab  
horâ octavâ ad meridiem. / praeside illustrissimo viro D.D. Henrico  
Haguenot.**

## **Contributors**

Haguenot, Henri, 1687-1775.  
Rocques, Pierre.

## **Publication/Creation**

Monspelii : Apud viduam Honorati Pech, Regis & Universitatis Typographi,  
1721.

## **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/am8fdsfy>

## **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under  
copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made  
available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial  
purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>


44336/p


ROCKS



Digitized by the Internet Archive  
in 2018 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30381617>





*nt. tizies M.D. et matthes. proff. Regii.*

# SPECIMEN

## MEDICO - CHIRURGICUM

*De Suppuratione in partibus mollibus.*

Cujus Propositionum veritatem, in Augustissimo  
Monspeliensis Appollinis Fano, propugnabit  
P E T R U S R O C Q U E S Montalbanensis, Ac-  
tium Liberalium Magister, ac Medicinæ stu-  
diosus, die mensis Novembris anni 1721.  
ab horâ octavâ ad meridiem.

P R A E S I D E  
I L L U S T R I S S I M O V I R O D . D .  
H E N R I C O H A G U E N O T

Regis Consiliario & Medico , nec - non in  
almâ Monspeliensium Medicorum Aca-  
deimiâ Professore Regio dignissimo , So-  
cietatis Regiæ Scientiarum Monspessula-  
næ Socio.

*Ad primam Apollinarem Lauream consequendam*



M O N S P E L I I ,  
Apud Viduam HONORATI PECH, Regis &  
Universitatis Typographi. 1721.

# DISPUTATURI

## PROFESSORES REGII.


318332

- R. D. Franciscus Chicoyneau , *Can-cellarius & Judex.*  
R. D. Joannes Bezac , *Decanus.*  
R. D. Petrus Chirac , *Serenissimi Prin-cipis Regni Administ. Archiater.*  
R. D. Antonius Deidier.  
R. D. Petrus Rideux.  
R. D. Antonius Magnol.  
R. D. Joannes Astruc , R. D. Chirac  
*Coadjutor.*  
R. D. Jacobus Chastelain.  
R. D. Jacobus Lazerme , R. D. Bezac  
*Coadjutor.*

## DOCTORES ORDINARI.

- M. Joannes Delherm.  
M. Antonius Caitol.  
M. Huguo Gourraigne.  
M. Garrotus Figeral.  
M. Guingualoeus Olivier Villencuve.





COLENDISSIMO

VIRO D. D.

JOANNI PETRO

RATERY

MONTALBANENSI.

**D**UM admirabilem rerum omnium  
vicissitudinem considero AVE OB-  
SERVANDISSIME , summam demiror  
Dei Optimi Maximique sapientiam in or-  
nanda excolendâque hominis vita ; Ei enim  
quasi redivivam in semet progeniem relin-  
quit , itâ-ut Pater in filio Avus in nepote  
renasci videantur. His serio perpensis noctu  
diuque cogito , quâ opera itâ de Medicina  
benè mereri possim , ut vestigiis tuis dignè  
insistens in me renasci videare. Tali ratio-

num momento adductus quæsionem infrà  
scriptam quamvis viribus meis diffidens  
publicè propugnare suscipio ; quam cùm de-  
ceat Litterato consecrare , quæcumque Tibi  
debeo mecum reputans , has studiorum meo-  
rum primitias Tibi vovere non dubitavi ;  
parvum quidem munusculum acceptisque  
beneficiis longè dispar , sed tantum quan-  
tum per me liceat esse ; si enim quantum  
cuperem , possem , exsoluta sanè essent vota  
mea ; neque unum pro multis rediterem ;  
at cùm cupientem deficiant vires , Tibi sit  
quæso satis , ut post oblatum munusculum  
Deum Optimum Maximumque deprecer ,  
ut vitam tuam ad Nestoreos annos pro-  
rogare non dedignetur . Hæc sunt vota

Observantissimi nepotis

Dabam Monspe-  
lii die 20. mensis  
Novemb. 1721.

P. ROCQUES.

SPECIMEN  
MEDICO-CHIRURGICUM

## *De Suppuratore.*

**O**PUS illud, quod solutis vasculis  
præcipue sanguineis, ut expediat se  
à sarcina noxiâ, unionemque post-  
modum in partibus restauret, natura sui  
servatrix adeò sœpè in corpore humano  
navat, perpendere hâc dissertatione con-  
stituimus. Quod quidem naturæ conamen  
Medico-chirurgum tantò magis considerare  
sedulò, in idque inquirere necessum est,  
quantò lacerata partium in quamplurimis  
tumoribus substantia, aut vulneribus cæsa  
attritave, ut reficiatur, nisi eo prævio dis-  
poni ut plurimum amplius haud queat. Quot  
enim observantur tumores, qui suppura-  
tione judicantur, ut peracto pure ac detersâ  
partis substantia particulæ priùs dissociatæ  
connubium, functionesque aliquandiù sus-

A

pensas iterum inire possint? Nonne prægresso fermè semper hoc opere soluta coalescit in variis vulnerum generibus partium substantia?

At quot in suppuratione varietates, & ratione diversæ solidarum partium structuræ & fluidarum indolis, tñm & quoque prout diversimodè pars fuerit lacerata aut deinceps tractata? Quam varianda artifici auxilia, quæ natura semet expedire interdùm impotens in suppuratione inchoandâ peragendâque juvetur.

Quæ igitur suppuratorii negotii sunt perstringere paucis conabimur, id in partibus mollibus elucidare potissimum fatigentes ut hinc circà tumorum, vulnerum, ulcerumque theoriam & curationem quamplurima deinceps illucescant.

Pus, fluidum illud præternaturale, quo ad qualitates sensibiles nemini non cognitum. Per illud enim vulgo intelligitur fluidum mediocriter spissum, gelatinosum, tenax, subalbidum, in partibus solidis è sanguine extravasato & stagnante progenitum. Sed ejus ortu ac productio, quæ suppuratio nuncupatur, adeò perspecta non sunt, ut accuratâ adhuc dûm indagine plurimùm non indigeant.

Nec tantum cā peractâ suppurationis his-

toria absoluta erit ; sed deinde quæ suppurationem inchoatam concomitantur ac sequuntur, posteà quæ illam impediunt ac sistunt, aut quæ variam efficiunt, ultimò quæ juvant eam ac promovent, pertractabuntur.

## PROPOSITIO I.

*Pars suppurans vitâ gaudet.*

**O**bservatur enim calore & sensu prædita, quin etiam in gradu sæpè intensiori, adeò ut doleat tunc plurimum ac effervescat. Nec Medicus Chirurgusve suppurrare vidit unquam partem absolutè extinctam, ut in ipsomet Sphacelo ; si verò succum putulentum emanare postmodùm observarit, illum à subjectis aut circumfluīs partibus iisque vivis, secedente ab eis penitus ac decidente tandem parte mortuâ, scaturire semper conspexit. Quis autem in putrescente cadavere pus unquam generari observavit ?

## PROPOSITIO II.

*In substantia partis nunquam excitatur suppuratio, nisi in eâ rupta sint sanguinea vascula.*

**D**uo intelliguntur in enunciatione hujuscè propositionis, 1°. Pus non effor-

A ij

mari in cavitate sanguiductuum integrorum. 2°. Pus etiam non excitari ruptis præcisè ductibus quibuslibet , sed absolutè necessum ad hoc opus esse, ut disrupta fuerint sanguinea vascula. Prius ex eo probatur , quòd lacerationes substantiæ partis à causis internis externisve productæ , antea puris generationem in praxi observati soleant, nec ullum exemplum puris in sanguiductu integro geniti pro certo traditum hucusquè fuerit.

Hinc autem deducitur posterius , quòd, ut partes vasis diversæ indolis textæ sunt , & ità non nulla speciatim præ aliis disrumpi queant , cùm contingit lacerari quædam integris manentibus sanguiferis, pus nunquam generari observetur ; ita cùm rumpuntur lymphatica , adiposa , aut nevro-lymphatica (vascula per corpus humanum sat universim dispersa ) exin vel seri collectiones , vel interdùm tumores duri , indolentes , diù ità subsistentes , sæpiissimè verò tumores tensi, cistici , ex materie spissâ , sebaceâ , inertî, lentescente , nihil novi fermè moliente, frigidî inde dicti , enascuntur ; pus autem in his casibus non observabis.

Nec unquam observatum pus enascens nisi sanguinis effusio præcesserit ; hinc in

partibus sanguineis frequens adeò ac facilis suppuration, in crurore autem parùm perfusis fermèque exanguibus rara adeò ac difficultis; hinc essentialiter sequi solet suppuration tumores dūntaxat inflammatorios, ut phlegmonas ac erysipelata, frigidos autem, ut scirrhos ac ædemata neutiquam; nec nisi priùs partes vicinas aut intermixtas ipsis sanguine hærente inflammari contigerit, ulla puris umbra in his tumoribus usquam apparebit. Hinc decantatum apud Chirurgos adagium, *Pus sequitur sanguinem.*

## PROPOSITIO III.

*Cruor abundanter effusus, & in cavitate insigni collectus, in pus non convertitur.*

**O**bseruantur quotidie effusiones sanguinis, ejusque in cavitatibus insignibus collectiones magnæ, ut in abdomine, pectore, capite, vesica urinariâ, utero, in magnis partium externalum intercapelinibus, exempli causâ in aneurismate falso, aliisque casibus. Verum quid contingit? Cruor iste in grumulos facescere solet, secedente fluidiori inæqualiter deinceps ipsis admiscendâ parte, posteà corruptitur, abitque ultimò si diutiùs detineatur (ut sèpissime effuso san-

guini uterino, clauso arctius interiori orificio advenit ) in aliquid cadaverosum *Tabum* appellatum foetidam horrendamque amurcam sæpè repræsentans. Evenit tamen nonnunquam ut sanguis ita collectus per notabile temporis spatiū fluxilitatem servet ; ità confosso ab aliquot diebus pectore cruentem sat floridum fluxilemque post administratam perforationem Chirurgicam universum per fistulam argenteam emanasse aliquando observavimus ; sic in apertione quorundam cadaverum sanguinem rutilantem adhuc fluxilemque effusum in capite confeximus.

Porrò in nullis propositionis hujus casibus , sanguinem evasatum converti in pus contingit. Si verò fluidi alblicantis purulentii admixtum quid sanguini in cavitate insigni ità collecto observatum , id non portio sanguinis effusi collectique extitit , at illud ex ambiente, quæ suppuraverit, parte defluxisse accuratè investiganti semper innotuit ; sic dum in operatione , quæ vulgo dicitur empyematis pus cruentum admixtum educitur semper in plevra , aut in mediastino , pulmonumve superficie abscessus ruptus , ulcus ve adest , è quibus in cavum thoracis stilla purulenta materies ; id ostendunt observa-

tiones, id testantur saniores Medico-chirurgi.

### PROPOSITIO IV.

*Evenit nonnunquam, ruptis sanguiferis, cruento in substantiam partis parcè diffusso, nullam inde tamen excitari suppurationem.*

**I**TÀ in Sugillatione (quam *Ecchymosin* Græci vocant) in partis textu sanguis effusus, non tamen notabiliter collectus nec fluctuans, sed dispersus, partem atro-rubro tingens colore, qui absque suppuratione ullâ sæpè sensim discutitur, parte dilutiorem in dies colore suscipiente, deprehenditur.

### COROLLARIUM.

E propositione 3a. & 4a. deducitur, sanguinem effusum puris formam adipiscendi per se imparem esse, quamvis extravasatus lentescat, partiumque ambientium vaporosis effluviis expositus concipiendo motui intestino putredinoso obnoxius sit, sed alia agentia aliasque conditiones, ut oboriatur suppuratio, requiri.

DISSERTATIO  
PROPOSITIO V.

*Disruptis in vivente parte molli sanguiferis, aliisque intertextis vasculis, definire modum, quo procreatur liquamen purulentum.*

**E**sanguineis cæterisque, quibus textæ sunt partes molles, vasculis, sive eæ interiores sint ut viscera varia, sive exteriores ut musculi ac integumenta, rumpi non nulla, ita ut intimus harumce partium textus laceratus nec tamen integrè corruptus existat, haud infrequens est. Et quidem illud ita fit vel à causis internis, ut sæpissimè ab humoribus vasorum tunicas extrorsùm nimis pellentibus, rariùs à succis eas rodentibus, vel ab externis ut ab instrumentis obtundentibus, cædentibus, lacerantibus, pungentibus, aliisve corporibus sive corrodentibus, aut urentibus. Ab his omnibus patet vasculorum partis dissociatum fuisse neminem, pluraque vascula per medium disrupta esse, adeò ut bina extrema quæ priùs sociata continuum ductum conficiebant, tunc patula hient, inque lacinias divisa existant.

Quo pacto autem ita solutâ partis continuitate pus, quo pars deinceps perfusa conspicitur,

conficitur, procreatur, disquirere juvat.

Statim atque partis alicujus rupta sunt <sup>quomodo</sup> vascula, confessim effunduntur contenta <sup>hunc effor-</sup>  
 fluida, dein stillant, postmodum cessare vi- <sup>matus.</sup>  
 detur effluxus; at deinceps sæpè intumes-  
 cunt oræ solutæ partis, hinc impensè ca- <sup>phenome-</sup>  
 lent, sensus acutior in eis fit, quin & do- <sup>na</sup>  
 lor suscitatur pulsativus cum sensu caloris, <sup>que</sup>  
 nonnunquam ustionis, aliquando horro- <sup>antecedens</sup>  
 res ingruunt, sæpè febris; oræ tunc pa- <sup>obscenit-</sup>  
 rùm humidæ quin & interdùm siccæ de- <sup>tantur</sup>  
 prehenduntur; remittentibus autem dein-  
 ceps iis omnibus detumentes humore no-  
 vo suffunduntur subalbicante, mediocriter  
 spisso, subglutinoso; eum *Pus* vocarunt;  
 jamque soluta pars *Ulcerata* dicitur. Hæc  
 sunt phœnomena, quæ puris confectionem  
 antecedere & comitari assueverunt.

Jam verò si iis, quæ in vasculis humo-  
 tribusque partis suppuraturæ contingunt,  
 præprimis phœnomenis memoratis quasi  
 directi attendamus, succi hujus præter-  
 naturalis efformationem detegere haud ita  
 arduum erit. Utque res clariùs procedat,  
 in casu vulneris per instrumentum secans  
 inficti, suppurationis negotium expedire  
 juvabit.

In *labris*, quæ dicuntur, vulnerum;

hiantisque vulneris superficie vascula in  
duplici statu versari statim animadvertem  
*status* dum est ; *alia enim*, quæ nempè cæsa  
*vasorum* manifestè aperta sunt, cruentumque flui  
*vulneris* dum evomunt ; *alia verò*, quæ instrumen  
ti aciem effugere, integra adhuc existunt  
partisque sauciatae vitam conservant. Pe  
oras igitur vulnerum innumeris vasorum  
ruptorum aperturis hiulcas, liquores quo  
vis in his contentos effundi confusè prin  
cipio necessum est. Utque sanguis abun  
dantior adest, tūm quòd in partibus sup  
purationi obnoxiiis vascula sanguinea cæ  
teris magis numerosa ac patula sint, tūm  
quòd liquoribus cæteris rapidius fluat san  
guis, ut patet ex physiologicis, hinc qua  
cruore mero perfusum vulnus principio  
conspici debet.

Porrò tandiù perseverat cruenti fluid  
expressio, quandiu subsistente aliquâ ca  
naliū ruptorum plenitudine, in eis ser  
vatur adhuc tensio, ac elasticitas quædam  
quâ fluida contenta aut de novo suppe  
ditata in vulnus urgeri queant. Sed quo  
niām facilitas fluidi ad exitum in vulnu  
ob aperturas statim nihil resistentes mag  
na est, hinc sequitur celerem quoque ejus  
primam expressionem futuram, ac talem,

ut liquores retrò sequentes sèpè cùdem celeritate, ob resistentiam in vasculis suppeditantibus utpote inflexis aliquam, appellere non valeant; quapropter in vasculis ruptis ex citatâ ac ubere effusione hâc inanitio aliqualis succedet. Cùm autem vigeat in intertextis vasculis integris fluxus idem liquorum, patet remittente ob inanitionem in ruptis extremis vasis vi dilatativâ, illa in spatum amplius dilatanda fore, adeòque rupta cogenda comprimendaque, ut hinc expressio fluidorum per labra vulneris aliquotum initio juvetur, cùdemque dilatatione sensim augescente adeò tandem stringenda, ut ea ferme supprimatur. Porrò compressio hæc 2. vasculorum ruptorum ab integris inducta versùs illorum extrema porissimum intelligenda est, utpote quod vascula in lacinias scissa, ibi debilitata magis ac tono vitali destituta sint. Præterea labrorum vulneris disrupta vascula per fibras longitudinales contractiles in partis substantiam retrahuntur, ut omnibus sectis vasis contingere assuevit, adeò ut ostia vasorum laceratorum inter integrorum textum quasi delitescant.

Cùmque fluidi effundendi primus im- 3.  
B ij

petus remisit , fibræ quoque orbiculares quæ integræ propè lacinias manserunt fluento amplius non dilatatae in sese coactari vasculumque in extremo stringere incipiunt ; ut indè hisce duabus quoque causis fluidi cruenti effusio inhibetur. Hi omnibus accedit fluida stillantia in laci niis vasorum ruptorum fluiditatem naturalem amissura , adeoque coagulanda fore cum inibi motu vitali progressivo amplius non cieantur , quin etiam aetis injuria quandoque exposita sint , quamobrem hanc etiam ratione obex in vulnus effluxui suscitabitur.

*Sanguis* Imminutâ igitur fluidorum in vulnu: *denivit* effusione , extrema vasorum ruptorum ob turata , coactata , compressa intelligi de natib: uiciabent. Quoniam verò per arteriolarum ad iugulo lymphæ - ductuum trunculos non inanitos eisdem ac eodem ac anteà numero versus vulneris oras tendentes , sanguis lymphaque solitâ celeritate & copia ad eas appellunt , vasa autem rupta & in extremis angustata eadē facilitate ac anteà admittere nequeunt , sequitur ita partim interrupto consueto æquabili fluento , non modo camet in principiis admissariis dilatanda plurimum fore , sed & deinceps fluida

majori solito copiâ in vasa integra derivanda, & quidem exuperanti eâ quantitate, quâ ob ruptorum in extremitatibus tenitentiam determinato tempore per ea transcurrere non possunt; cùm autem vasa integra humorum molem nimiam itâ citò suscipiunt, distenta nimis eâ quasi obruuntur, nec vasa revehentia hos itâ celeriter reducere possunt, hinc & vasa erupta & integra humoribus ultramodùm sed præprimis sanguine, nimirùm liquore in parte abundantiori ac rapidiori, turgescunt; hinc orarum vulneris tumor, rubor, æstus, molestus sensus; cumque appellente singulis pulsibus cordis subitò sanguine arteriolæ jam dolorosè distentæ adhucdùm de novo plurimùm dilatentur, identidem recrudescat dolor cum sensu vibrationis, seu dolor qui dicitur *pulsatus* persentietur, isque fervoris cum molestiâ. In oris igitur vulneris tunc adsunt magnæ vasorum tensiones, celeres ac validæ commotiones fibrarum, liquorum & in primis cruoris difficilis circuitus, congestiones, æstus, inflammatio, quibus omnibus plurimùm pars defatigatur ac dolet.

At tunc non modò pars tantùm, sed & corpus universum in angustias trahitur;

*fumor,*  
*rubor,*  
*æstus,*  
*dolor*

contremiscit hoc non runquam horroribus  
ac quatitur, ut plurimum verò febris acu-  
ta illud adurit. Neque enim ità vascula  
membraneæque partes distendi possunt,  
quin fibrillæ nerveæ partis ultramodùm  
succutiantur, quin & per consensum reli-  
liquæ corporis quoquoversum contremis-  
cant, molestiaque in universo corpore obs-  
curè presentiatur. Porrò vibrationes eæ  
nervorum tantò notabiliores erunt, quantò  
sauciata pars exquisitiōri sensu naturaliter  
prædita, hoc est pluribus nerveis stami-  
nibus aut iis valdè tensis erit contexta;  
tum & cœteris paribus quantò partis sau-  
ciatæ extensio major erit, hoc est pars  
insignior corporis patietur. Præterea vibra-  
tiones quoque nervorum in parte sauciata  
vehementiores quoque erunt, si ob ali-  
quod sanguinis alluentis vitium vel causæ  
sauciantis indolem peculiarem vascula fi-  
brasque prætermodùm tendi crispari ac ve-  
lut convelli, ut indè atrocissimi exoriantur  
dolores, contigerit; prioris casūs exem-  
plum exhibit vulnerum labra erysipelate  
affecta, posterioris corpora urentia, cau-  
tica, &c. Cùm fiunt autem vehementes il-  
læ staminum nerveorum in sauciata parte  
commotiones, contremiscunt ob continuo-

tatem adeò ac irregulariter nervi per corporis habitudinem dispersi, ut fibras carneas membranæsque crispari inæqualiter hâc & illâc cogant; sicque corpus quasi tremulis motibus in partibus diversis quati obscure persentiatur, & quidem interdùm cùm sensu frigoris, quòd vibrationes fibrillarum inæqualiter per habitum corporis crispaturas suscipientium tunc similes sint eis, quæ à corporibus frigidis ambientibus excitari solent. Quo circà in partium valdè sensibilem, aut plurimùm inflammatarum vulneribus, item in vulneribus magnis, in ambustis etiam & corrosis, similibusve casibus ante suppurationem horrore nonnunquam succutitur corpus. Adeò hîc quidem sensus frigoris alicujus, sed falsus, quòd reverâ corpus non frigescat, interim vehemens non est; & nonne interdùm sub finem mictûs, dùm ingrata quædam deglutiuntur medicamina, item in incisionibus Chirurgicis, similibusve casibus horrores ejusmodi ingruunt? Sed interdùm in suppuratione cùm excitantur horrores, corpus algidum verè deprehendit, verùm tunc liquamen purulentum confectum & ad fluendum per vulneris oras in procinctu est; quòd quomodò eve-

niat in propositione sequenti declarabitur.

Ut horrores in magnis aut dolentibus  
valdè vulneribus ante suppurationem quan-  
dòque ingruunt, ità febris eam antecede-  
*febris* re ac concomitari solet. Cùm enim immi-  
net suppuratio parsque dolere ac æstuare:  
incipit corpus universum molestè afficitur,  
ut antè dictum est, posteà incalescit per  
gradus adeò, ut verâ febre acutâ quasi  
uratur. Partis siquidem suppurantis stami-  
num nerveorum vibrationes dolorosæ fibril-  
lis cæteris ob continuatatem saltem in ce-  
rebro communicatæ effusiones succi ner-  
vei insignes per eas excitant, quibus tensio:  
carum major procuratur; hinc robur in-  
tenditur in corde, arteriis, venis, visce-  
rumque fibrillis, hinc intensior vis solidor-  
um in sanguinem, hinc ejus citatione pe-  
riodus, rarescentia major, hinc pulsus fre-  
quentior, magis plenus, æstus totius cor-  
poris, febris acuta. Sed & æstuans in la-  
bris vulneris sanguis, quoniam utut ægrè  
*causa* nihilominus in venulas remeat, hinc re-  
liquo admixtus, mobilitatem ejus molecu-  
larum intendet, caloremque proindè ac-  
rarentiam majorem in eo suscitabit,  
hinc & quoque febris acutæ fomes.

Jam verò in eâ luctâ solidorum ac flu-  
dorum

dorum, quæ in parte suppurante agitur, vascula rupturam passa interim vix vibrantur, quòd ab extremo altero, lacerato nimicùm, alligatione fixâ careant, quòdque in semet retractæ fibræ longitudinales tensionem illam violentam, quâ priùs in advenientia fluida resilit naturaliter cogebantur, amplius illis haud impertiant. Vasa ergò hæc in oris vulnerum inertia & quasi vitâ destituta habenda sunt; interea cùm in principiis admissariis liquoribus vi vasorum in ea tendentium intrusis turgeant, nihilque fetè per se ipsa in illos moliantur, in vicinia autem vascula integra præprimis sanguinea circumquaquè, ut antea dictum fuit, vivide pulsent, ab eorum vegetis & ultràmodum productis dilatationibus identidem comprimenda fore consequens est, & sic urgenda, ut contentum fluidum ad sui expulsionem instigetur, sed illud morâ quam traxit crassum factum est & ad effluxum parùm dispositum, præterea extremum laceratum ob sui angustiam obsistit, adhucque majori vi resistunt vasa pellentia & liquorem in vas ruptum urgentia, igitur pulsantium vasculorum integrorum in ductus ruptos ingeminandos pluries fore ictus deducitur, an-

tequām sarcina illā inertī in vasculis rup-  
tis contentā & ad circuitum absolutē inha-  
bili vulnerata pars liberari queat. Verū  
coactis illis pulsionibus & compressionibus  
extrinsecis fluidum iners in vasculis ruptis  
contentum admodūm succurrit , quin ta-  
men per aliquodd tempus ultrā progredi  
possit , anteā autem in statu naturali à tuni-  
cis proprietum vasculorum immediatē age-  
batur , ac liberē transfluebat , undē sequitur  
in suppuratorio motu longē diversum esse  
fluidorum in ductibus ruptis statum ac dūm  
pulsioni vitali exposita sunt. Non mirum  
ergò , si fluidum indē progignatur novum  
ac præternaturale ; in statu namque natu-  
rali in vasculis sanguineis cruor leniter ac  
~~statu~~ æquabiliter à resultu tunicarum quibus tan-  
~~tacilij~~ gitur , agi solet , ejus globuli rubri disso-  
~~sanguinis~~ ciati à se invicem servantur , ut in fluido  
mucilaginoso-aquæo cum partibus fibrosis  
liberē fluitent , sicque per vascula minima  
~~statu~~ transfluat sanguis. At verò in opere sup-  
~~in operario~~ puratorio is hæsit in principiis admissariis  
~~suppurato~~ ductuum ruptorum , quadecausa globuli ru-  
~~rati~~ bri parsque fibrosa aliquantūm coaluere ;  
tūm & serum tenuius ab his expressum  
per ostiola rupta transpiravit , aut partis  
æstu consumptum est , adeò ut globulosæ

partes rubræ coactæ, fibrosæque intermixtæ  
 cunctæ in sanguinis mucilagine velut in-  
 viscatae remanserint. Jam verò succedit  
 deinceps motus vasorum ambientium in-  
 tegrity præditorum dilatationibus repeti-  
 tis ceu tot ictibus vehementer comprimen-  
 tum, quamobrem globuli rubri aggesti  
 coactique nec disfluere valentes in semet  
 ita comprimi, subigi, ac elidi debent, ut  
 in liquamen merum abeant, quo quidem  
 continuatis ictibus cum partibus fibrosis &  
 mucilaginoso-lymphaticis è propria natura  
 albicantibus ulterioriùs subacto, postremò fluidum  
 emergere debet rubro colore exutum,  
 sat spissum & æquabile, subalbicans, quòd  
*purulentum* dici consuevit; quòdque repe-  
 titis succussionibus sufficientem fluxilitatem  
 adeptum ita pulsionib⁹ vasorum integro-  
 rum agitur, ut vixis tandem reseratisque  
 vasorum extremis per ea foras in vulnus  
 exprimatur. Quod quidem negotium eo  
 puncto tantò faciliùs expeditur, quò extre-  
 ma lacerata exacto iam à ruptione tem-  
 pore aliquo tunc vitâ orbata laxa sunt,  
 adeòque facilimè recludi se patiantur. Sed  
 & cum effluente liquamine illo commis-  
 centur in oris vulneris laciniæ ac extre-  
 mitates vasorum mortificatione verâ emol-

pung  
 forma  
 tio

litæ ac deciduæ, vasorum extremitates ut-  
pote partes solidæ per se albicantes; ità  
excidere extrema vasorum ruptorum am-  
putationes membrorum edocent. Hæ verò  
laciniae in vulneribus contusione vel rup-  
turâ inductis in dubium revocati non pos-  
sunt, sed & occurruunt etiam in iis quæ  
instrumentis secantibus inficta sunt, ins-  
trumentum enim secans ut ut cote exacu-  
tum fuerit, aciem tamen semper habet  
retusam plurimisque eminentiis asperam,  
quod Microscopio patescit, adeòque ins-  
trumenta secantia cuncta verè lacerant.

3. Commiscentur & quoque in oris vulne-  
rum liquamini purulento fluida lympha-  
tica albicantia, spissa, ab ostiis ruptorum  
lymphaticorum aut nevro-lymphaticorum  
depluentia, & eâdem vi ac prædictum li-  
quamen pulsione nempè vasorum integrō-  
rum expressa; quæ enim sanguiferis eadē  
& quoque lymphaticis rupris eveniunt,  
lymphaticus siquidem liquor post primum  
ab inficto vulnera effluxum eodem deinde  
mechanismo ac crux, in vasis suis ruptis  
supprimitur, hæret, lentescit, inspissatur,  
postmodùm exagitatur & ad fluendum per  
ostiola lacerata compellitur. Quod autem  
è laceratis staminibus nerveis exsudat,

adeò exigui est momenti, ut puris compositionem ingredi vix dici mereatur.

En igitur pus è liquaminis sanguinei rubore exuti prædominantis, succi lymphatici viscosi aliqualis, tūm & laciniarum extremitatumque vasorum in frustula emor-tua abeuntium, ac velut in gluten molle, subalbicans conversarum miscelâ in asperitatibus superficie i vulneris peractâ ortum, efformatum penitus, per infinita punctula scatul-riens.

### COROLLARIA

#### I.

Causa suppurationis efficiens est motus ~~caet~~  
vitalis vasorum integrorum præprimis san-gineorum solito magis turgidorum, ten-forum, vibrantium, rupta fluidis inertibus tumida diastolis tempore vehementer comprimentium, succutientium. Quo circâ in parte suppurante inflammatio aut phlogôsis saltem aliqua concipienda est.

Sanguis lymphaque in vasculis ruptis hæ-rentes, tūm & vasorum disruptorum extre-ma, puris legitimi simul materia existunt.

Tria hæc verè morti destinata sunt; li-quores enim prædicti circulationi amplius obnoxii non existunt, extrâque ejus limi-tes versantur, vasculorum extrema lacerata muniis pulsandi nimirùm humoresque ul-

terius transmittendi obeundis imparia sunt. Constituunt ergo tria hæc sarcinam intertem ac noxiā , quā gravatur pars vitā adhuc potiens , quāque ne opprimatur metus est ; ablegandi itaque eam & à parte vivente separandi hoc est in suppuratione ~~quid~~<sup>naturæ</sup> molimen. Motus vitalis vasorum in ~~natu~~<sup>vivente</sup> suppurante parte aductus & vera getus , hīc est natura ipsamet sarcina hāc se expediens. Talis est causa efficiens , talis est materia , talis est in opere suppuratorio naturæ scopus.

## II.

*locus*  
*suppur*  
*ratio*  
Officinam seu verum suppurationis locum in vasculis disruptis semper queras , extra hæc nulla fit. Causam siquidem ejus operariam ac efficientem vicinam aut dispositam , materiemque aptam alibi non reperies. Hinc sanguis abundantter extravasatus collectusque , hinc in sugillatione per substantiam partium mollium diffusus (Vid. cor. prop. 3. & 4.) hinc in rimis vulnerum stagnans , omnino crux semel extravasatus puris formam non induit. Pars vivens duntaxat suppurat.

Elapsis proximè diebus abscessum quemdam ventriculi feliciter ruptum vidimus , & quo amurca duntaxat atro-cruenta , fœti-

da, per vomitum ore pleno summâ vi insperatò ejecta fuit; cujusque colore per dies aliquot tinctæ fuere deinceps alvinæ fæces. Hinc liberatus est Nobilis Civis Monspeliensis dolore fixo ventriculi, singultu immanni, tumore regionis epigastricæ, aliisque angustiis, quibus post curatam febrem maligoam ab aliquo tempore afflictabatur. Sanguis in textu tunicarum ventriculi diù detentus in pus non abiit, quia extravasatus; nec pus in disrupta parte progenitum, quod liquores per vascula integra haud ægrè meatint, nullum enim in processu hujus morbi observavimus inflammationis ventriculi indicium.

Hoc autem movere aliquem posset, quod divinus Senex Aphor. 20. sect. 6. ita scripsерit *si in ventrem sanguis præternaturam effunditur, necesse est suppurari.* Verum experientia huic sententiæ refragatur; quod agnoscens optimè Galenus dixit Hippocratem haud propriè accepisse hoc in loco suppurationem, sed pro conversione quâdam in saniem, aut certè pro corruptione mutationeque à statu naturali; sic & quoque Mercurialis hunc Aphorismum commentans, plurimis, quæ affert, exemplis, divini Senis sententiam admodum improbat.

At si magna collecti sanguinis molles  
vasculorum singulorum pulsui non exposi-  
ta, ipsisque nimis resistens, causæ suppu-  
rationis vim eludit, in Ecchimōsi saltē  
cruor diffusus ac per minutās moleculas  
segregatus vibrationibus infinitis vasculo-  
rum attiguorum obnoxius fit, ipsis obse-  
quiosus ac vel minimam inferens resisten-  
tiā. Non ne igitur fugillatæ partes sem-  
per suppurare debent? Minimè. In fugil-  
latis partibus quædam & pauca disrupta  
sunt tantūmmodo vascula sanguinea, ac  
liberè ab eis cruor in partium intersti-  
ciis absque ullâ in ruptis sanguiferis stag-  
natione diffusus est. Cruoris ità diffusi par-  
ticulæ motu partium ambientium vibrato-  
rio aliquatenūs equidem succutiuntur, see-  
cūm in vasculis ceu in saccis totidem co-  
hibitæ non sint, perfectè undique, ut de-  
cet, & quasi per innumera puncta iterati  
plurimūm ictibus à pulsantibus vasis am-  
bientibus non comprimuntur, sed ictibu-  
totalibus extensis in varias ac plures loci dif-  
ferentias non nitentibus facile cedentes  
indeque simùl non coactæ nec subactæ, i  
intersticia partium immutatâ forma diffi-  
liunt, expanduntur, plurimūm à se invi-  
cem segregantur, resolvuntur; hinc Ecchi-  
mōsi

môses in dies sensim dilutiores fiunt, postmodum perspirant ac evanescunt. Si verò fugillatæ partis attritâ plurimùm substantia discepta fuerint & confusa notabiliter vascula sanguinea tunc non modò in fibram interstitiis diffusus, qui sugillationem repræsentet, aderit sanguis, sed & portio ejus in vasculis attritis, laceris cohita, hinc partem aggravans, ac pulsatorio vasorum integrorum undique ambientium vehementer exindè concitato motui ceu causæ suppurationis efficienti exposita, in pus abibit, hoc in interstitia partium depluet, fugillata pars suppurabit. Pars suppurans opus suum absolvit in semet ipsâ, quodque noxium est è sinu suo expuit. Hic est terminus, hic finis suppurationis.

## III.

In vasculis utut infarctis adhucdum tam integris crux purulenti liquaminis naturam non induit (*Vid. prop. 2.*) Is quippè in vasculis congestis, vel motu gaudet aliquo periodico, vel eo abolutè caret; & quidem si modo priori se habet, vasculorum continentium motu agitur proprio, qui adhuc vitalis est, & sanè plurimum ab extraneo diversus, qui à dilatatione ambientium pressivâ & continuata in

materiem non transfluentem emergit. Quapropter deficiunt in hoc crux conditio-  
nes & efficiens causa, quibus in purulen-  
tum liquamen converti queat. Dùmmodò  
autem facilitas ad fluendum ipsi restitu-  
tur, æquè ac anteà transfluet; nec quic-  
quam labis ductibus imprimet. Sic partes in-  
farctæ per *Resolutionem* interdùm liberantur.

*jan  
grena* Si verò ductibus integris sanguis abso-  
lutè quiescat, pars opprimetur adeò, ut ex-  
tincto in eâ ferè vitali principio nulla sup-  
purationis efficiens causa micare valebit,  
pars verò miserè putrefacet, *Gangranam-*  
*que* aut *Sphacelum* citò concipiet.

*absces* Interim si supponatur sanguis in non-  
nullis ductibus ità hærens, ut in his ad-  
fluendum absolutè inhabilis, per circum-  
posita tamen satis tranfluat, principium-  
que vitale vegetum in parte perennet;  
tunc vasa ultramodùm infarcta & turgida  
à vicinis liquores assiduò suscipientia, tùm  
sanorum motu succussa, pressa, disrupti  
non morabuntur, aderitque tunc *Suppura-  
tionis* casus; *Abscessus* fiet.

*schierus* Si quis tamen ductus penitus infarctos  
pulsantium sanorum prementium, ac li-  
quores continuò suppeditantium actioni ità  
resistere, ut ipsi disrupti non cogantur,

absolutè supponat ; is suppurationem indè subsequituram nullatenus arguet. Quâ enim vi ulterior præpeditur infarctus , qui vas ad crepaturam perducat , quâ vi ductus infarctus à pressione pulsantium nihil patiens servatur , eâdem juxta Mechanicæ leges ne crux vas infaciens agitari ab iis ac subigi possit inhibetur. Res autem itâ continget , quòd tunc crux mucilago in vasculis minimis fluxilitate adeò desticuta ac indurata sit , ut accessum liquori novo affluentí denegans , vas à distensione tunicarum nimiâ immune servet , tûm & fixitate suâ pulsiones vasorum circumpositorum eludat. Hinc itaque fiet non suppuration , sed *scirrhus*.

## IV.

Sanguis in vasis insignibus disruptis puris naturam non adipiscitur ; ab his enim ob aperturam nimiam , impulsumque validum continuò diffuit. Si verò ligaturâ injectâ aut quocumque alio modo constrictâ extremitate fluere desinat ; tunc in cæcum vasis extremum sanguis delatus ibi non hæret , sed in patulos laterales rami los derivatur. Sique vasis extremum sanguine turgere contigerit , moles ejus insignis à pulsantibus vasculis ambientibus

vix quidquam patietur, quod in eo rati  
superficiei ad soliditatem molis compressæ  
ac in exiguisimis vasculis longè minori  
existat, ut patet ex Geometricis.

## V.

Quæ circà puris confectionem in vul-  
neribus cæsim inflictis hucusquè dicta sunt  
eadem in aliis quibuslibet suppurationis  
casibus semper deprehendes. In partibus  
siquidem contusis suppurantibus, quædam  
attrita sunt vascula, reliqua integratem  
servarunt, utraque ingurgitata; enī igitur  
efficientem suppurationis causam, enī ma-  
teriem aptam. Similiter cùm ab intrinse-  
câ causa suppurationi locus præbetur, in  
parte suppurante rupta partim, partim in-  
tegra reperies vasa, crux in primis tur-  
gida; rupta liquorum effusio, integra vita  
partis, turgescientiam tumor, æstus, dolor  
significabunt. Suppurantibus Phlegmone au-  
Erysipelite sic sanè se res habet.

## VI.

Vitâ plenè in parte subsistente, quæ  
plura vascula disrupta erunt, quò magis  
lacerata, quò magis confusa, eò copio-  
sius ac facilius humores in eis cohíebun-  
tur in liquamen purulentum convertendi;  
eò abundantior erit laciniarum vasorum pu-

trilago albida; igitur eò uberior suscitat-  
bitur suppuratio. Porrò in Contusis plu-  
rimūm, attrita & laniata sunt vascula; in  
Corrosis pariter & Ambustis admodūm dis-  
cerpta sunt & irregulariter commixta, in  
Cæsis autem vascula secundūm unicum pla-  
num tantūmmodò divisa; non mirum ergò  
si in Contusis, Ustis & Corrosis, si in Sclo-  
petorum vulneribus uberiores longè ac in  
Cæsis succedant suppurationes. Hinc dūm  
copiosa expetitur suppuratio caustico lapi-  
de, potius quām scalpello aperiendæ partes.

## VII.

Cùm in Cæsis vascula secundūm unicum  
planūm divisa, nec confusa, parūmque la-  
cerata positionem pristinam obtineant, pa-  
ret sanguinem liquoresque alios affatim per  
aliquod tempus facilè nec interrupto filo  
effluxuros; si autem abundantē eos efflu-  
xisse, inanitaque adeò iis fuisse vascula  
contigerit, ut nulla deinceps eorum irrup-  
tio metuenda veniat nec congestio, nihil  
novi ac molesti in vasculis integris excitan-  
dum fore sequitur; quamobrem rupta vas-  
cula exinanita ab integris simpliciter com-  
primentur, & ità oblitarabuntur, ut indē  
nullum naturæ conamen, nulla suppura-  
tio timenda sit, parsque nullâ sarcina op-

pressa modo in propositione sequenti exponendo citò coalescat. Sic autem se res habet nonnunquam in cæsis carnibus , quæ absque suppuratione præviâ citò uniuntur. At liberaliter effusa tunc fuere fluida , vel etiam suctione educta , ne iis pars soluta gravaretur , oræque vulneris deinceps oleo balsamove , aut simili contra aeris injuriam munimento fuerunt illitæ ; quapropter sic inanita vascula divisa penitus flaccescunt , à viventibus comprimuntur , obliterantur ; hæc autem moderatè liquores suscipiunt , nihil violenti in parte cæsâ excitatur , hæc citò per se coalescit. Sic ruptis quandòque in visceribus sanguiferis nonnullis , crux liberaliter effuso , pars hinc non gravata nullatenus suppurat , citòque rursùm cohæret.

## VIII.

Verùm absque prægressâ suppuratione connubium non ineunt Contusa , Corrofa , Ustave ; quòd plurimùm disrupta , dilaniata , confusa , varièque inflexa vascula liquores liberaliter haud profundant , plenè nunquam inaniantur , illosque semper ubertim in se ipsis detineant , hinc integrorum & ingurgitationi ac tensioni locus præbeatur , undè suppuratio ; quòdque la-

cinæ notabiles in his casibus & copiosæ putrilaginem abundantem adeò suppetant, quæ per transpirationem, sicut in Cæsis non suppurantibus ob parvam earum copiam evenit, discuti nequeat.

## IX.

Cùm in parte suppurante vitale principium subsistere dilucidè agnoscamus (*prop. 1.*) ac peractâ suppuratione solutam coalescere partem muniaque obire observe-  
mus; cur vitale principium iners & otio-  
sum in opere suppuratorio haberemus, opus  
verò totum per putredinem aut fermenta-  
tionem aliquam absolvendum relinque-  
remus? Cur unà cum Dolæo aliisque Chy-  
miatris, sanguinem effusum vini instar è  
dolio educti vappescere ità arbitratemur,  
ut per subsequentem hinc acidi exaltatio-  
nem pus efformandum imaginaremur? Præ-  
sertim cum absente vitalis principii operâ,  
licet crux putredini, vappescentiæ, fer-  
mentationi committatur, natura nullum  
tamen confici pus perspicuò nobis indi-  
cet (*Vid. cor. prop. 3. & 4. & cor. 2. hujuscemodum prop.*) Sic vappescit ac putredini obnoxius  
fit crux effusus vel parcè ut in Ecchymo-  
si, in rimis vulnerum, vel ubertim ut in  
collectionibus copiosis; sic putredine &

fermentationis motu intestino interdum  
adeò immutatur in sphacelatis partibus ;  
aut cùm in uteri cavo diù fuit asservatus,  
ut amurcam horrendè fœtentem postmo-  
dum exhibeat ; sic immutatus fuerat san-  
guis inter ventriculi tunicas collectus , in  
casu superiùs observato ; quare autem pus  
in hisce casibus non producitur ? Quòd  
vasculorum vibrationes vitales ceu causa  
suppurationis efficiens in eis deficiat . ( Cor.  
2. ) Sed hanc tunc non esse requisitam  
fermentationem , quæ pus suscitet , inquis.  
Quodnam autem est peculiare illud fer-  
mentum purulentum ? Est ne è partibus am-  
bientibus exsudans humiditas ? At hæc in  
prædictis casibus , at hæc in utero sanè  
non deficit . In hisce casibus adsunt sanè  
calor & humiditas putredinis principia . Est  
ne nervorum fluidum , quod præstanti *spi-*  
*rituum animalium* nomine insigniri solet ,  
quodque actiones in animalibus ità perfic-  
it , ut partium singularum structuras inti-  
mas , varios solidorum respectus , fluidorum  
indoles , consistentias varias , moles respec-  
tivas , fluxus diversos , celeritates , cæte-  
raque mechanica perscrutari eo machinam  
regente sat supervacaneum sit ; quodque  
Archæi Helmontiani quasi vices supplens ,  
medicinam

medicinam adeò brevem , omnibusque facilem efficit? Sed spiritus animales in sanguinem effusum ipsimet effusi tantamne energiam haberent , quâ novam ac peculiarem excitarent in eo agitationem intestinam? Energia talis extrâ vasa propria in dubium revocari sanè haud immerito posset. Verùm sanguis semel effusus nusquam , sed pars duntaxat vivens suppurat. (*Vid. cor. 2.*) Spiritus autem animales insinum partis suppurantis dolore abundantiter determinatos fermentationem suppurationem excitare si admiseris , de suppurationis loco lis non erit ; sed perpendendum restat utrum in rupta , integrave vascula uber ille spirituum effluxus peragatur ; rupta semimortua sunt , nervulos præcisos habent , elatere vitali destituta , vixque sensibilia existunt , integra verò nervos intactos possident , plurimum tensa sunt , vibratilia , inflammatâ , doloris summe capacia , fluxus igitur spirituum uber ad hæc , parcior ad illa concitatitur ; sed purulentum liquamen in integris non elaboratur sed in ruptis , è quibus duntaxat expui potest , spiritus ergò animales in partem suppurantem ac dolentem ubertim fluentes miscelâ sui in vasorum integrorum liquo-

ribus aliquid notabile, in ruptorum autem inertibus succis vix quidquam effatu dignum præstabunt.

Jam verò præter hæc, quæ superiùs contrà sanguinis vappescentiam & acidi exaltationem ut suppurationis causam, adducta fuere, adversus Chymicos hujuscce sententiæ fautores hoc animadvertendum superest, acidum reverà puri non inesse, cùm variis experimentis sputa purulenta nihil acidi, sed multum Salis corporisve Sali cornu Cervi similis, continere, non ità pridem ostenderit Pitcarnius. En igitur demonstratum Chymicis in pure Sal alkalinum, Sal verò acidum à quo puris præcipuos effectus deducunt ab ipsis non manifestatum; flocci enim faciendum hoc eorum argumentum, quod pus corrosivum sit, quæstio enim de facto utpote in casibus puris laudabilis falso, jure meritò moveri posset; quodque principium corrosionis Sali acido fixo tribuunt, quâ de causa alkalino alii non tribuerent, cùm utriusque indolis caustica subministret Chymia? Ità quod Chymici acidum, Hippocrates nominavit *acre* sputum purulentum. Mitto loqui de indicio Salis acidi ex viriditate puris à quibusdam deducto, quasi verò ex tali colore Salia Vitriolica in pure

significarentur; cùm colores particularum mixti indoles determinatas non denotent, ac istiusmodi è signaturis aliisve petita Chymicorum argumenta per instituta à Pitcarnio experimenta abundè nimis refutentur. Verùm illa puris naturæ per Chymica experimenta perscrutatio ad præscriptionem remediorum nec quicquam lucis affert, ut eam refutando Dolæo ejusque asseclis utilem duntaxat h̄ic esse censemus.

## PROPOSITIO VI.

*Quæ suppuratione inchoatā superveniunt  
ac deinceps succedunt, tūn quā ratione  
suppuratæ partes denuò coalescant, ex-  
plicare.*

**P**Ostquām liquamen purulentum in oras solutæ partis stillare incœpit, extremaque vasorum lacerata reclusa fuere; tunc fluidis appellentibus in admissariis vasorum ruptorum principiis tantum obstaculum non reperitur. Imminutā igitur eā parte resistentia, vasa integra gravi molis fluidorum exuperantis appulsi liberari incipiunt; plorantibus idcirco tunc purulentum liquamen vasis ruptis, integris verò fluida appellen-

tia facilius traducere incipientibus, tumori partis sauciatae, tensio, calor, dolor remittere incipient; verbo statim ac pure vulneris orae madefactae conspicientur, protinus levabuntur sauciatae partis angustiae; hinc & quoque febris, si excitata fuerit, remittet; in corpore universo levamen sentietur.

Quoniam vero continuato purulenti liquaminis effluxu, viæ in oras vulneris patentiores sensim fiunt, hinc in parte sauciata liquorum fluentum liberius in dies fiet. Sedabuntur ergo tandem & concident universa, quæ in lucta suppurationis immania excitata fuerant, symptomata, ac orae solutæ partis pure sine dolore manabunt. Ubi notandum puris emanationem duraturam quandiu in oris ulceris aliqua in circuitu liquorum difficultas perseverabit. Indè enim sanguis in principiis vasorum ruptorum admissariis, ob vasis ferè emortui flacciditatem & viscosi purulenti liquaminis antè ipsum lentè fluentis obstaculum, aliquantum hærens, causæ puris efficienti pulsui nempè vasorum integrorum libere adhuc non transmittentium, expositus erit, ac proindè in pus convergetur, fluxilius equidem ac fluxilius in dies

vasorum, eò quòd sanguis minùs ac mi-  
nùs hæreat, minùsque proinde inspissatus  
nec ità sero destitutus liquamen non spis-  
sum æquè ac anteà subministret. Nec de-  
sinent pariter oræ ulceris pure humescere,  
quousquè vasorum ruptorum extrema verâ  
mortificatione corrupta, & à vivente par-  
te penitus separata putrilaginem albican-  
tem suppeditare desinant.

Cùm verò intrà dies aliquot tempusve  
notabilius ( si quædam obstruerint ) liquo-  
ribus circà ulceris oras fluentibus viæ tan-  
dem libertæ factæ fuerint ; tunc sanguis  
lymphaque in vasa rupta migrare desinent,  
quòd jam in integris nihil eorum fluxui  
obsistat, ruptaque in dies magis & magis  
flaccescentia quin & extremis suis in pu-  
trilaginem conversis orbata ab integris un-  
dique comprimantur. Imminuta itaque  
sensim cessabit tandem purulenti liquami-  
nis generatio ac fluxus, exsudabit verò  
per oras ulceris in modum perspirationis  
serum aliquod tenuius, quo madescant;  
jamquè oblitterata erunt principia admissio-  
ria vasorum ruptorum, extrema autem  
penitus amissa ac è corpore viventi se-  
parata. En igitur peractam spontè ulceris,  
quam vocant *deterisionem*, en jàm oras ulce-

ris ductibus integris & viventibus duntaxat constantes, en ipsas liquoribus vivificis sat liberè transfluentibus animatas, en tandem ipsas corruptis vasculis, liquoribusque effœtis ceu sarcina noxiâ plurimùm liberatas. Restat nunc partium solutarum coalitus nexusque absolvendus.

Sed natura, quæ per simplices vias procedendo in suppuratione non occubuit, imperfectum opus suum non relinquet. Vascula, quibus constant ulceris detersi oræ, integra cuncta & animata, in ulceris superficie non terminantur, nec enim fluida reducere possent, nec parti vitam tribuerent, sed ibi reflexa continuo ductu liquores versùs cor referunt; in puncto igitur reflexionis ut siphonum pars incurvata haberi debent. Porrò curvaturæ illæ ductuum, ut diùm pars soluta non erat, fulcitæ non existunt; quippè quòd à nullo corpore comprimantur ac velut pendulæ emineant; in lateribus insuper compressæ non sunt, quòd suppuratione absumpta fuerint penitus extrema vasorum lacerata priùs ipsis circumflua; quapropter appellentium liquorum ictibus faciliùs ac anteæcedent partes hæ vasculorum inflexæ, tum extendi incipientes extuberantes hinc &

illinc monticulos repræsentabunt molleculos, liquoribus & imprimis sanguine turgidulos, rubentes, verbo ex innumeris ulceris punctis *Carnes*, ut loqui amant, pullulabunt. Cùm autem vascula hæc tenera, non compressa, extensilia, à liquoribus advenientibus sensim ulterius ac ulterius producantur, *granula carneæ floridiūs vegetabunt*, intumescent sibique tandem ex adversis oris pullulantia obviam ibunt, partes eminentes in cavas, prout occurserint, cotyledonum more inferentur; si verò pars eminentis eminenti adversa occurrerit, quæ minus obsistet ad latera reflectetur, alterâ interim inter hanc & alias circumfluas viam pergente; & sic per varias eminentias ac scrobiculos oræ pullulantes excipientur ac excipient. Continuatâ autem per appulsum indesinentem fluidorum accretione carnes hæc granulosæ in se invicem arctius inferentur, suturasque strictas æmulabuntur, adaugente plurimum firmitudinem fluidi lymphatici nutritioni destinati parietibus nevro-lymphaticorum distensorum agglutinatione assiduâ, ob inflexa compressaque in insertionibus hæc vascula abundantiori adhuc & validiori, si que infligatur vis, lacerabuntur potius ac

rumpentur carnea hæc granula, quām ut  
intacta dirimi se patiantur, quòd in tali  
inserione ac nexu extrema carnium gra-  
nulosarum utpote molliora accrescere non  
desierint, & compressis interim mutuò eo-  
rum originibus, in molem eam excreve-  
rint, quæ per interstitia, quæ priùs su-  
bierant, transire amplius non possint. Id  
sanè artificium imitantur Fabri lignarii,  
cūm in modūm caudarum, ut aiunt, hi-  
rundinum trabes compingunt. Sic coales-  
cunt partes solutæ, sic efformatur *Cicatrix*,  
sic in ossibus *Callus* producitur.

In cicatrice ergò extrema vasorum rup-  
torum non adunantur sibi, non uniuntur;  
hic enim determinatus & quidem vascu-  
lorum ejusdem speciei occursus, hæc reu-  
nio concipi nequeunt, nec vasorum extre-  
ma rupta lacerataque per suppurationis  
tempus sat protractum sana sartaque ser-  
vari ac vivere ulla tenus possunt, corru-  
puntur autem ac excidunt, ut anteà ex  
amputationibus membrorum notavimus,  
nec reliquum vasis rupti extendi ullo me-  
chanismo concipi potest, nec unquam visum.

Porrò rationi consonum magis non est  
*Cicatricem* aut *Callum*, ut extravasatum  
*succum nutritium concretum* partes solutas  
agglutinantem

agglutinantem concipere ; quòd œconomia animali versatis succos extravasatos vitali principio officere semper notum sit ; quòd cùm cicatrix aut callus partis continuatio sit , vasculis ab eâ productis reverâ constet , prout edocet sanior Anatomie. Verùm vasa nulla nova in corpore humano lymphatici glutinis adminiculo & quasi materie fabrefieri , quæ ruptis additamento sint , unquam concipi possunt ; nec enim imaginaria in humanâ machina compaginare Physico rationali licitum est , præsertim cùm verè existentia , quibus in operibus suis absolvendis in plurimis casibus utitur , natura perscrutata manifestet. Si quis autem de vasorum integrorum in corpore humano extensilitate dubitaret ; is productiones summas membranarum , ipsarum inspissationes immodicas , vasorum vastas dilatationes , viscerum intumescencias , incrementa immania , profectò ignoraret , hunc sanè fugerent innumeræ & ferè quotidianæ hoc de argumento observationes.

In cicatrice callove vascula ut in partibus ipsis continuis eodem ordine , eodem textu disposita non sunt ; neque pristinam partis repræsentant compagem ; quòd è

coalitis vasculis non constent anastomōsi  
quādam, ut nonnullis arridet, junctis. Vas-  
cula in cicatricis callive substantia univer-  
sa reflexa sunt, nullaque ultrà cicatricis  
fines protrahuntur; sibimet autem per acer-  
vos, ut antè dictum fuit, confusim at stric-  
tè intermixta, oras soluti continui adver-  
fas suturæ validæ in modum connectunt;  
hinc transfluxus nullus liquorum ab ora ci-  
catricis in aliam reditus autem semper utrin-  
que in continuam sibi partem; hinc in va-  
sis cicatricis plurimùm in semet inflexis  
ac validè inter se mutuò compressis haud  
ità facilis sicut in partibus nunquam solu-  
tis liquorum periodus; hinc in partibus  
cicatrice callove præditis dolores subindè  
suscitantur.

Hactenùs purulenti liquaminis effluxum,  
hunc tandem desinentem, ulceris hinc de-  
tersionem, ac formationem cicatricis, pro-  
ut in parte affectâ sponte res peragitur,  
lustravimus. Jam quomodo corpus univer-  
sum efformato pure aliquandò compatia-  
tur, perpendendum est.

In abundantibus, tum & speciatim in  
viscerum suppurationibus, instante fluxu  
purulento horret interdùm algetque reve-  
râ corpus, frigidæ deprehenduntur enim

ab adstantibus extremitates ; pulsus debilis, *fri-*  
*parvus*, ac depresso est ; hinc exacto tem- *per-*  
*poris intervallo* reviviscit, sensim plenior *ad iuv-*  
*fit*, validior, frequentior, anteà pallidæ *utru-*  
*rubent tandem genæ*, ardet universumcor-*in igne-*  
*pus*. Unde tot turbæ, nisi ex purulentæ  
*materiei* cum sanguinis oceano mixturâ ?  
*Hic enim vibrationes validæ nervorum*  
*in parte suppurante accusandæ non veniunt*,  
*ut in propositionis præcedentis casu*, cùm  
*sæpissimè vix sensus ullus de suppuratione*  
*fiente admoneat*, nec nisi ingruentibus hor-  
*roribus negotium priùs latens deinceps ali-*  
*quancum patescat*; sic in pulmonibus, sic  
*in hepate*, aliisque visceribus, quæ clām  
*fiunt suppurationes accendentibus absque*  
*manifestâ causa horroribus ægro medico-*  
*que sæpè declarari solent*. Præterea hor-  
*rores*, qui excitantur in hoc casu **ex sensu**  
*falso* non proficiscuntur, cùm reverâ fri-  
*geat corpus*, sanguisque constanter affec-  
*tus sit*. Verùm circà puris cum sanguinis  
*oceano mixturam* ex eo dubium omne tol-  
*litur*, quòd pus per colatoria à parte sup-  
*purante plurimum dissita ac in primis per*  
*renes cum urina transcolatum pluries ob-*  
*servatum fuerit*.

Fit interdùm itaque, ut, dum puru-  
**F ij**

lenti liquaminis efformatio inchoata est ,  
vasa integra pulsionibus iteratis illud ab  
extremis ruptorum liberè exprimere ne-  
queant ; sive quòd ipsamet sufficienter ro-  
busta non existant , sive quòd liquamen  
purulentum viscidius & crassius sit , sive  
quòd abundet nimis , sive quòd extrema  
rupta in locum patulum non hient , sed  
in substantia cæcâ partis , vel sufficienter  
non apertâ terminentur . In omnibus his  
casibus partem sarcina hâc purulenti li-  
quaminis liberè exonerandam non fore cla-  
rum fit , sive quòd causa pellens viribus  
sufficientibus careat , sive quòd nimis re-  
sistat liquamen expuendum , sive quòd li-  
ber puri non pateat exitus .

Quocircà in abundantî suppuratione li-  
quamen , rupra vascula copiâ aggravans  
ductibus integris pulsantibus utut robustis  
obsequiosum itâ esse nequit , ut facili fluxu  
per ostiola lacerata expuatur ; quapropter  
inter has pressuras portio ejus in vasa in-  
tegra collateralia vi diducta velut per in-  
cilia totidem derivabitur , liquoresque vi-  
yificos inficiet .

In suppurationibus autem latentibus vis-  
cerum , cùm organa hæc vasculis teneris  
valde ac patulis ut plurimum texta sint ,

pec robustis fibris firmata, hinc expuendo puri imbecillia sunt; si insuper illud justo viscidius extiterit, ut in suppuratis pulmonum tuberculis, vel si (quod saepè visceribus suppurantibus contingit) puri exitus liber non pateat, ut cum in abscessu via nulla extrà partem ducit, aut cum ulcus sufficienter non hiat (nec autem in hisce angustiis visceri latenti artifex manu ferre auxilium potest) in omnibus illis casibus substantiam partis pure exonerandam non fore consequitur; quamobrem pressuris interim non desinentibus portio in incilia lateralia derivata liquoribus vivificis communicabitur, sanguinem inficiet.

Cum autem memoratae circumstantiae in visceribus suppurantibus saepius quam in cæteris partibus, & non raro simul occurrant, hinc remissiones puris saepius ab iis observabuntur. His omnibus accedit, quod viscera utpote vasis insignibus dotata, cordique viciniora, labem non debilitatem communi oceano facilius quam reliquæ habitus corporis partes inferant.

Jam vero purulenti flocculi plures immutata forma sanguini commixti, crassi sunt, tenaces, ægrè divisibles; quapropter motum partium sanguinis mucilaginosarum

& globulosatum in primis, inviscando illas earumque disfluxum inhibendo, hic & illic inæqualiter obtundent. Remittet ergo motus cruoris intestinus, pulsus debilior ac minor illico fiet, frigus corpus occupabit, dejicientur vires. Sanguis autem inæqualiter subito ita inspissatus Capillaria ægrè ac modo inæquali transfluit, hinc vibrationes obscuræ ac inæquales staminum nerveorum, hinc tremuli motus fibrarum carnearum ac membranearum, hinc horrores. Interim dum sanguis Capillaria difficile pervadit, insignia vascula potissimum permeare compellitur, hinc eâ de causa quamplures supprimuntur ferè secretiones, saliva fiet parca, viscida, os aridum, tum & alia arescent colatoria.

Cùm autem per aliquod tempus augescat resistentia ad transfluxum per Capillaria, & ita fluida in vasis sanguineis insignibus mole sensim adaugeantur, hinc tandem sanguifera hæc solito magis tendi debent, hinc citatores & correptæ eorum cordisque vibrationes, hinc febris incipiens; verùm continuatis & augeantibus hisce vibrationibus moleculæ sanguinis ut ut crassæ succidentur, agitabuntur plurimum, rarescet crux, excandescet febris; inten-

saque perseverabit, quo usque attritæ fuerint moleculæ crassæ cruoris, isque tenuior factus liberè per Capillaria transfluat, ac portione exuperante fluidorum per feriantia priùs sed admittentia nunc vascula secretoria in primis autem cutanea copiosa sub forma sudoris liberaliter effusâ, in sanguiferis insignibus & corde illata resistentia ac tensio penitus cesseret.

Quo tempore autem cruor puris infec-  
tionem patitur febrique excandescit, repa-  
gula orarum ulceris ità rumpi ac dehiscere  
tandem ex pulsionibus vividis vasorum pu-  
risque abundantí fluento aliquando succe-  
dit, ut deinceps ad ulceris superficiem li-  
beratâ via pus universum corriretur, san-  
guinemque in posterum amplius non in-  
ficiat.

Si quâ interim proportione pus effor-  
matur, eâdem ob vitium aliquod ex me-  
moratis perseverans in soluti continui su-  
perficiem non extravaseretur, in incilia col-  
lateralia jam aperta sensim & continuò  
licet parcè derivabitur, hinc sanguine nun-  
quām non infecto febris aderit continua;  
quæ subinde cum horroribus exacerbabi-  
tur, quando nimis collectiones puris  
in vasculis ruptis cohibiti identidem re-

crudeſcent. Si diu autem perseveret in ſanguine hæc infectio putis, febrisque hinc diu protrahatur, hæc *lentæ* morem fuſcipiet; laxabitur etenim tandem repetitis motibus violentis intestinis cruoris textus, mucilago ejus vitalis, quām *Balsamum* vo- cant, deſtruetur, nec ipſe ſuſtinendis vaſorum iectibus, nec irrorandis ad nutritio- nem molli fluido Nevro-lymphaticis, nec niſi effœtis ad functiones obeundas liquo-ribus colatoriis ſubministrandis par erit, fatiſcet, at hinc & quoque fatiſcent vafa, fibræ, digeſtiones depravabuntur, vires in dies exſolventur, tabescet corpus, adure- tur, conficietur.

Postquām flocculi puris duc̄tus minimos non pervadentes aliquandiū cum ſanguine volutati fuere, motu febrili tandem atte- runtur, ut jamjam dictum fuit; & admo- dūm diuiſi per colatoria tandem, ſed præ- cipuē per cutaneos copiosos duc̄tus ſero li- xiviali ſanguinis abrepti ſub ſpecie ſudo- riſ plerūmque foetiſi ableganrur. Si autem mixtionis tempore ſero ſanguineo innatan- tes parūm adhuc attenuati duc̄tibus ſecre- toriis occurrerint ſatis patulis, hi ſanè eos ſero abrepti ſubibunt; ſed quoniam mo- tus vitalis in duc̄tibus ſecretoriis tantus

non

non est ac in sanguiferis liquoresque eos lentiùs transfluunt, hinc puris flocculi motu intestino ita sejuncti à se iuvicem ut in ductibus sanguiferis non servabuntur, concrecent igitur, floccosque constituēt crassiores & crassiores; hi tamen ulteriùs meabunt, quod secretorii ductus in ampliores & ampliores confluant; quapropter in ductuum secretorum trunculis quasi guttæ puris aderunt confectæ.

Jam verò ductus urinosi plurimū patuli sunt, serumque lixiviale sanguinis facilimè hauriunt & abundanter, quamobrem si in quibusdam sujetis apertiores adhuc extiterint, siue puris flocculi in sero sanguinis partibus ejus mucilaginosis vix connecti innatent, patet eos renales ductus facile subituros, ac in his ratione jam traditâ in puris guttulas insignes coalituros; pluet serum urinosum per papillas renales, at manabunt quoque simul puris guttulae, haec autem deinceps in pelvi renali ac vesica morâ simul coalescent ulteriùs, undè non mirum si quidam alibi quam in renibus suppurati tristis nihilominus mingant purulentas. Hoc accidisse Empyicis observatum est, Phthisicis autem desperatis haud insolens; quod in his absumptâ

sanguinis mucilagine purulentī flocculi alligati minimè , sero lixivioso liberè innarent.

Ductus intestinales secretorii sat quoque aperti sunt , copiosi , parùm protracti , parùm inflexi ; si igitur in quibusdam subjectis naturaliter aperti valdè , aut si præsente aliquâ diarrhæa adhuc magis dilatati fuerint , puris flocculi eos sanè subibunt , diarrhæa fiet purulenta. Hanc in desperatâ Phthisi interdùm observavimus , interdùm mictum purulentum.

Quis autem ductus hepatis biliosos amplos esse negabit ; in primis si materiem iis à sanguine venoso subministrari cogitet , eam profecto spissam , quæ orificia sat patula ad ingressum requirat ? Quamobrem & quoque in quibusdam suppuratis puris flocculi biliares ductus subibunt ; eò quod autem hi per vastam hepatis substantiam valdè protracti sunt , satque spizzo naturaliter alluuntur liquore bilioso , hinc puris ramenta facilè in eis coalescent , & antequam in biliares trunculos amplos pervernerint , molem adeò adipiscentur , ut ultrius meare non valentes eos citò ingurgitabunt , citò obstruent ; comprimentur idcirco sanguifera circumposita , turgebunt ,

rumpentur, excitabitur demum in hepatis substantia suppuratio. His de causis in suppuratis quibusdam clandestini & insperati superveniunt in hepate abscessus, ut testantur observationes.

Id autem singulare ab eximiis Practicis scriptum est suppurationibus potissimum internis capitis, jecoris abscessum aliquando supervenire; quod sanè nisi ex speciali Cephalici puris indole repeti potest; cum nullam ad explicandum illud Phænomenon cerebrum inter & hepar communio nem peculiarem Anatome hucusque demonstrarit. Arbitramur ergo pus Cephalicum utpote è tenuioribus & activis plurimum fluidis ortum, mucilaginosum tenui esse, cuius ramenta ductus biliros subire, in his tamen speciatim ob rationes supra traditas rursum ita concreta cere queant, ut exin interdum occasio suppurationi in hepate præbeat. Verum casus hujusmodi frequentes admodum & constantes hucusque non advertimus.

Nec solum, dum per imbibitionem pure assiduo inficitur sanguis corpus febre lentâ consumitur; sed & cum ulcus pure abundantius aut diutiùs manat similiter contabescit. Hinc enim sanguis defœcatâ parte

mucilaginosâ , utpote per ulceris vasculâ  
rupta in primis nevro - lymphaticâ afficuò  
depluente , purisque tunc portionem in-  
signiorem constitente , plurimùm defrau-  
datur.

Quamobrem eâ in sanguine deficiente  
particulæ ejus mobiliores non coercitæ à  
pulsionibus vasorum motum nimium con-  
cipiunt ; arescant vasorum fibræ hâc mu-  
cilagine non emollitæ , tenduoit , hinc  
correptæ pulsiones , febricula , hinc muci-  
laginosatum particularum ulterius detrimen-  
tum , corporis tabes . Sic ulceribus vastis ,  
sic ulceribus nimium aliquando aut diu-  
tiùs suppurantibus miserè conficiuntur sau-  
ciati.

Supersunt postremò perpendendæ par-  
tium suppurantium varix , quæ quoâd for-  
matam externam succedunt modificationes.

Et 1º. quidem , cùm partis suppurantis  
facies testa non est , purique ab eâ ma-  
nanti exitus liber conceditur , *Ulcus* adest.

2º. Cùm intima ac cæca partis substan-  
tia soluta , lacerata , suppurat , particula-  
rum solutarum intercapedines pure è ruptis  
vasculis depluente sensim replentur , fit la-  
cus puris undique conclusus , is *Abcessus*  
appellari solet. Qui quidem si spissâ ad-

modum substantia partis alicubi coniectus non sit, nec valde per eam diffusus, in umberonem ibi prominere solet, eò quod puris collecti massa Sphæroidea ambientibus partibus tensis ac se contrahere nitentibus compressa in laxiorem partem ut pote minus resistentem potissimum deturbetur, ut inde hoc in loco in primis molles & fluctuatio pure absoluto deprehendenda veniat.

3º. Cum verò suppurata pars parum dehiscit, nec puri facilis præbetur exitus, circumpositis partibus molibus diductis se contrahere nitentibus, pus compressum undequaquè exprimitur; cum autem per orificio facile exprimi nequeat sive quod superius sit, sive quod angustius, hinc expressionis vites in partes ambientes diffundentur, haec itaque sensim dehiscent, ac ulterius sejungentur, pure interim has fissuras penetrante; si autem pus per protractas notabiliter intercapedines ac velut per cuniculos diffusus sit, cavitates illae appellantur *Sinus*.

Favebit etiam cavernularum hujusmodi productioni puris, cum adfuerit, acrimonia, ea enim fibrularum vincula lacera buntur, solventur; pusque in cæcas scrobes sensim insinuabitur.

Porrò ulcerum, abscessuum, sinuumque species ac differentias h̄ic tradere locus non est, cùm de modo, quo peragatur suppuratio, deque iis, quæ ipsam comitantur ac sequuntur, generatim differere huc usquè propositum fuerit; eas autem, cùm de suppurationis varietatibus tractabitur, sigillatim exponemus.

Quæ igitur allata sunt, quasi fundamen-ta Syntagmatis de *Suppuratione* haberi debent; quæ verò quoàd Theoriam cum quoàd Therapeiam supersunt, iis quasi erunt superstructa, materiemque alteri Dissertationi Academicæ præbebunt; sique tandem absoluta erit in partibus mollibus suppurationis Historia. Quæ autem in Ossi-bus desiderabitur, haud diffcili sanè ne-gotio ex traditis in mollibus fundamen-tis deducetur. Eam interim apud Clarissi-mum *Heine Suecum* unà cum Inflammatione ossium, nonnullisque insignibus eo-rum morbis, doctè expositam unicuique persequi licitum erit.

55

# ERUDITO D. D. PETRO ROCQUES

*In primo eruditionis tentamine novas Suppu-  
rationis ac cicatrisationis leges exponenti.*

**T**E miror, quia tanta vales, quem Phœ-  
bus amavit:

Tempore, quo putri sunt mersa cadavera  
tabo,

Atque cadunt pariter parvo, magnoque  
potentes

Exhalaturi fœdam prius ulcere vitam,  
Uteris, ut medicam rimeris pleniūs artem,  
Sanguineos latices, ductus secteris hiantes,  
Unde, viâ facili, saniosus depluit humor,  
Ulcus ut efficiat, factumque perenniter extet;  
Ni tandem, quâ lege doces, obducta cicatrix  
Deleat omnino vestigia sordida putis.

*Hæc suo cecinit Amico GUINGUAUOEUS  
OLIVIER VILLENEUVE  
Doctor Medic. Monsp.*



## E I D E M.

*Nova Suppurationis causarum explicacionem afferenti.*

**A** Rdenter pridem optatum , qui sterne-  
ret ingens  
Partis suppurantis opus, sed nemo repertus :  
Desperatam aliis , solus tu , viribus æquis ,  
Materiam sumis , doctèque exaras , amice.  
Si tibi , pro meritis hominesque , deique  
faverent ,  
Princeps tu fieres Medicorum , judice mundo.

*Hæc tibi in eternum & sincerum  
benevolentiae , amicitiae , amo-  
risque pignus & monumentum  
O. D. V. C. ac*

*Ut vivas felix , rugis cingentibus ora ,  
Supremum numen precibus , votisque fatigat.*

FRANCISCUS LABOISSIERE  
Varaniensis apud Petracorios ,  
Licent. Medic. Monsp.

57  
ꝝꝝꝝꝝꝝꝝ:ꝝꝝꝝꝝꝝꝝ

## E I D E M.

*Novum Suppurationis Mechanismum  
afferenti.*

**S**pargere si pergas orbita lumina ROCHE  
Cantabit radians lumen uterque Polus.  
Sic tua successus habeat doctrina perennes,  
Pluribus ut studiis, nos aliosque juves.

*Sic offerebat Amico suo in  
æternum amicitiae monumen-  
tum STEPHANUS HUGUES  
Spinalensis apud Lotharingos,  
Liberalium Art. Magist. &  
Univers. Medic. Monspeliens.  
Baccal.*



## E I D E M.

*Pro primo Apollinari certamine de Suppuratione disertè differenti.*

F Rustrà Castalidum , supplex , compello  
juvamen ,  
Faucibus Aonidam renuunt siueibus undam  
Maxima nec credunt tenui præconia voci.  
Haud stûpeo : gressu properans , tuto invia  
pressas ,  
Sacraque tangendo sacras mysteria nomen.  
Sicque triumphanti , tacitus , gratatur amico.

Socius addictissimus  
CAROLUS BERGIER  
Pontifvallensis apud Se-  
busianos Art. Lib. Mag.  
& Facult. Med. Monsp.  
Baccal.

59

36 36 36 36 36 : 36 36 36 36

## E I D E M.

*Suppurationis causas enodanti.*

**Q**Uæ vis ingenii ? Quæ docti pectoris  
artes ?

In scriptis qui mentis honos , quæ gratia  
regnat.

Es reor ipse lepos , aut filius ipse leporis ,  
Fastidiosa licet tu reddere grata legenti  
Ulceris & puris scivisti nomina ROCQUES ,  
Usque adeò Thesis blando sermone nitescit .

Sic gratulabatur Amico suo  
LUDOVICUS PREVOST  
è Castro ad Ledum apud  
Turrocenomanenses Art. Li-  
beral. Magist. jamdudum  
studiosus Medicina.





